23.10.65

GS/14B

CAPUT V

DE COMMUNITATE GENTIUM ET DE PACE PROMOVENDA

Decir que todos los pueblos aspiran la paz

90. (Introductio). Constanter ad pacem Evangelium invitat homines, beatos dicens pacis artifices, "quoniam filii Dei vocabuntur" (Mt.5,9). Ubique terrarum praedicatum evangelicum pacis nuntium etiam ad humanitatem spectat quae nunc, maturitate quadam gaudens, eligere debeat quid illi sit agendum; mundus qui sit "humanior" nuns extruendus est; quod nequit fieri nisi omnes de novo ad veram pacem convertantur.

91. (De natura pacis). Pax non est mera absentia belli aut violentiarum neque ex solo inclinationum aut copiarum aequilibrio oritur, sed opus iustitiae recte et proprie dicitur. Fructus ordinis a Deo pro societate humana intenti e voluntate hominum in bonum commune conspirantium efficitur.

Cum vero labilis sit humana voluntas et insuper peccato sauciata, rectus ordo societatis simul ab unoquoque constans exercitium dominationis sui, et ab auctoritate legitima vigilantiam requirit. Bonum commune autem generis humani primaria ratione iuxta eandem legem divinam semper est ordinandum sed simul decursu temporis incessanter mutationibus "concretis" subicitur: hoc sensu pax nunquam est quidquam factum, sed semper aliquid faciendum.

Iustitia autem inter homines vix obtinetur, nisi exercitio mutuae fraternitatis alatur, quod utique praecepto evangelico de caritate mutua summopere fovetur et altissimis adspirationibus hominum concordat. Pax illa terrena quae ex dilectione proximi oritur, figura et effectus est Christi pacis a Deo Patre promanatis et in tot cordibus regnantis. Ipse enim Filius incarnatus, princeps pacis, per crucem suam omnes homines Deo reconciliavit ac, restituens omnium unitatem in uno populo et uno corpore, in propria sua carne occidit odium et resurrectione exaltatus, spiritum caritatis in corda hominum diffudit.

Omnes igitur christiani obligantur, ut veritatem facientes in caritate illam pacem implorent et ad eam instaurandam suam operam cum omnibus sincere pacificis socient. Quodcirca non possumus non laudare illos homines, qui ad iura vindicanda actioni violentae renuntiant, non recurrentes nisi ad subsidia defensioni apta, cunctis etiam debilioribus patentia, et habita ratione aliarum legitimae defensionis formarum. Quatenus enim homo peccator est, impendet periculum belli et usque ad reditum Christi impendebit; quatenus autem peccatum superat, pariter possibilis erit victoria de violentia reportanda, donec impleatur verbum: "Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas, suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad proelium" (Is.2,4).

Hengstbach: confuso: obligación de defenderse? Se puede renunciar al derecho propio, no al de la comunidad. Ancel: la acción no violenta no es renuncia a resistir sino a violentar.

Sectio 1: De communitate internationali necnon de pace construenda.

91 bis. (De difficultate pacis terrestris instituendae). Ad pacem construendam ante omnia requiritur ut eradicentur causae discordiarum inter homines, et iniustitiae quae istis occasionem praebent. Non paucae ex ipsis ab oeconomicis inaequalitatibus proveniunt, necnon a mora in afferendis necessariis remediis quae sola iustitia expostulat. Aliae vero a spiritu dominationis et personarum contemptu oriuntur et, si causam profundissimam inquirimus, ab humana superbia et egoisticis passionibus. Cum tales iniustitias homo ferre non possit, ex iis consequitur ut, etiam bello non existente, mundus indesinenter contentionibus inter homines et violentiis inficitur. Et mala ista in relationibus inter nationes nunc evidenter apparent, necessarium omnino est ut ad illa coercenda et effrenatas violentias comprimendas, firmior ac melior coordinatio institutionum internationalium impleatur necnon creatio organismorum ad pacem promovendam continuo stimuletur.

PATRIMONIO UC

92. (De communitate gentium et institutionibus internationalibus). Vigentibus hodie tam arctis nexibus mutuae necessitudinis inter omnes incolas et omnes populos orbis terrarum, boni communis quaesitio et adeptio iam requirunt ut communitas gentium ordinem sibi constituat qui praesentibus suis muneribus congruat, speciatim in illis numerosis regionibus quae hodie adhuc intolerabilem patiuntur egestatem. Talis autem promotio frustra expectatur e solo progressu oeconomico et technico; nam tunc tantum homo vere proficit, si mente et voluntate eo tendit ut vita sub omni respectu vere humanam degat.

Ad hos fines assequendos, institutiones communitatis internationalis necessitatibus diversis hominum pro sua parte prospicere debent, et quidem tam in campis vitae socialis, cuius generis sunt educatio, nutririo, sanitas, labor, quam in nonnullis adiunctis peculiaribus hic et illic orientibus, ut sunt exigentiae hodiernae incrementi generalis nationum progredientium, vel etiam aerumnae profugorum per totas partes mundi et conditio migrantium eorumque familiarum.

Institutiones internationales, universales vel regionales vel existentes certe de genere humano bene merentur. Tamquam primi conatus habentur ut internationalia fundamenta statuantur totius communitatis humanae relate ad gravissimas praesentes quaestiones, non solum ad bellum quod attinet, sed etiam ad quaelibet incoepta maioris momenti quae huius temporis humanitas molitur. In omnibus istis campis gaudet Ecclesia de spiritu caritatis verae florentis inter christianos et non christianos et ad hoc intendentis ut conatus semper intensiores fiant ad miseriam ingentem sublevandam.

93. (De cooperatione internationali in campo oeconomico). Hodierna coniunctio humani generis etiam instaurationem cooperationis internationalis in campo oeconomico imponit. Etsi omnes fere populi sui iuris facti sunt, longe tamen abest quin ab omni forma indebitae dependentiae liberentur et omne periculum gravium difficultatum internarum effugiant.

Incrementum alicuius nationis ex adiumentis humanis et pecuniariis pendet. Cives nationis ipsius per educationem et formationem professionalem ad varia munera vitae oeconomicae et socialis obeunda praeparandi sunt. Ad hoc autem requiritur auxilium peritorum alienigenarum qui opem ferant non ut dominatores, sed ut adiutores et cooperatores. Auxilia materialia non sibi procurabunt nationes progredientes, quin profunda fiat mutatio regularum hodierni commercii in mundo. Alia insuper auxilia a nationibus progressis praeberi debent adhibita forma donorum, mutuorum et collocationum pecuniarum: haec fiant cum generositate et sine cupiditate ex una parte, cum omnimoda honestate ex altera.

Ad verum ordinem oeconomicum universalem instaurandum abolenda erunt nimia lucrorum studia, ambitiones nationales, appetitus dominationis politicae, suppotationes ordinis militaris et desiderium ideologias propagandi et imponendi. Plura oeconomica et socialia systemata proponuntur; optandum est ut ex eorum collatione communia fundamenta sanae praxeos mundialis erui possint; quod facilius evadet si mentem doctrinariam singuli abnuant humiliterque se gerant in rebus inspiciendis. si, in spiritu iustitiae observantia →

94. (Normae opportunae). a) Gentes progredientes valde cordi habeant ut finem progressus expresse et firmiter in plena perfectione humana suorum incolarum collocent. Meminerint progressum ante omnia ex labore et ingenioipsarum gentium oriri et crescere, eo vel magis quod non in solis alieris opibus, sed praesertim in propriis plene efficiendis necnon in cultu ingenii et traditione propria inniti debet. Qua in re illi excellant oportet, qui maiorem vim in alios exercent.

b) Gentium progressarum officium gravissimum est omnes populos in obeundis supradictis muneribus adiuvare. Quapropter accomodationes spi=

rituales et materiales ad hanc universalem cooperationem stabiliendam requisitas apud seipsas libenter perficiant.

c) Communitatis internationalis est incrementum componere et stimulare, ita tamen ut opes ad hoc ordinatae quam efficacissime et plena cum aequitate disponantur. Ad eam etiam pertinet, servato principio subsidiarietatis, rationes oeconomicas in toto mundo ita ordinare ut normam iustitiae explicentur.

d) In multis casibus urget necessitas recognoscendi oeconomicas socialesque structuras; sed cavendum est a solutionibus immaturae technicitatis, imprimis ab illis quae spiritualem indolem hominis destruunt, specie hominem instruendi materialibus incrementis. Recolendum est quod "non in solo pane vivit homo sed omni verbo quod procedit de ore Dei" (Mt.4,4). Et quod quaelibet pars humanitatis in seipsa et in suis melioribus traditionibus, fert aliquid de thesauris spiritualibus a Deo humanitati concreditis, etsi multi nesciunt ex qua origine procedant.

95-96 (antiqui nn.96-97). (De cooperatione internationali quoad incrementum incolarum). Summe necessaria fit cooperatio internationalis, sine qua non est pax, erga illos populos quibus sat frequenter hodie occurrit, inter tot alias, difficultas peculiaris e rapido incremento eorum populationis. Urget necessitas ut per plenam et impensam cooperationem omnium, praesertim nationum ditiorum, omnes facultates ad victum necessariae et condiciones quibus homines perficiantur, plene explorentur eaedemque toti communitati humanae parentur. Nonnulli autem populi condiciones proprias vitae multo meliores reddere possint si, debita instructione exculti, a methodis antiquis ad artes technicarum novarum pro gignendis bonis agrestibus cum debita applicatione et prudentia transirent, ordine sociali meliori instaurato et distributione possessionis terrarum melius ordinata.

Certo certius non desunt iura et officia guberniorum circa problemata populationem suarum nationum respicientia, attamen in proprio campo et intra debitos limites; ita de legislatione soaicli et familiari, de transitu ruricolarum ad urbes, de informatione circa statum et necessitates nationis. Optandum vero est ut de his omnibus, cum hodie mentes hominum de hoc tam agitantur, periti catholici speciatim in Universitatibus studia et incoepta ardue persequantur et amplificent. Nullo modo potest autem Status sese practice substituere parentibus in ultimo iudicio circa prolis numerum determinandum, cum hoc eorum proprium et inalienabile ius est, utique servatis omnino legibus moralibus. iudicial et oc.

Cum autem a multis affirmatur incrementum incolarum orbis, vel saltem quarumdam nationum, omnibus subsidiis et quobis interventu auctoritatis publicae funditus omnino minuendum esse, S.Synodus omnes monet ut caveant a solutionibus, publice vel privatim promotis et quandoque impositis, quae legis moralis nullam rationem habent et incremento incolarum per omnimoda subsidia finem imponere contendunt. De progressibus scientificis tamen quorum firmitas bene probata est et de quorum moralitate habetur sufficiens certitudo, homines si res id postulat, certiores fiant.

97 (antiquus n.95). (De munere christianorum). Genuinus ordo internationalis requirit reverentiam erga legitimas libertates et amicam fraternitatem hominum. Christiani autem urgentur cum hoc opere libenter et toto corde cooperari, eo amplius quod egestas maioris partis mundi tantopere urgeat, ut quasi alta voce Christus in pauperibus caritatem asseclarum suorum sollicitet. Ne scandalo sint hominibus, cum nationes, quarum saepe maior incolarum pars christianorum nomine censentur, bonorum copia fruuntur, cum aliae priventur rebus vitae necessariis ac fame et morbis omnigenaque torquentur miseria: spiritus enim paupertatis et caritatis gloria et testimonium Ecclesiae Christi est.

PATRIMONIO UC

Laudandi et stimulandi sunt illi christiani qui seipsos ad opus promotionis humanae sustinendum offerunt. Sed omnis Populi Dei est, episcopis verbo et exemplo praeeuntibus, miserias hujus temporis pro viribus sublevare et quidem, ut ab antiquo in Ecclesia mos fuit, non tantum de superfluo sed de substantia.

Collectio et distributio subsidiorum materialium, quae nimis rigide et uniformiter non est agenda, per opus recto ordine campositum in dioecesi, natione et mundo fieri debet, et, si casus fert, in actione coniuncta cum fratribus christianis a communitate catholicorum seiunctis. Spiritus caritatis nullo modo prohibet, verum omnino impertat ut actio caritatis lucide et ordinatim exerceatur. Quare necessarium est ut ii qui per seipsos nationibus destitutis inservire volunt, per instituta idonea apte formentur.

Concilium vero, ratione habita immensitatis aerumnarum quibus maior pars generis humani etiam nunc versatur et ut iustitia simul ac amor Christi erga pauperes instanter ubique praedicentur, oportunissimam aestimat creationem alicujus organismi Ecclesiae universalis, cujus sit promovere a catholicorum communitate progressum illarum regionum necnon iustitiam socialem inter nationes.

Sectio 2. De bello vitando

98. (antiquus n.101) (De bellorum immanitate refrenanda). Jam pluries intra saeculum vigesimum misere experti sumus quantas caedes quantasque ruinas hodiernae belli rationes coacervaverint; etiam nunc quotidie, hic aut illic in aliqua terrarum parte, bellum vastationes persequitur, conflictusque sustinet ex quibus exitium prope integrum magnae partis humanitatis ex improviso oriri possit. Dum arma scientifica cujuslibet generis in bello adhibeantur, saeva ejus indoles praeliantes ad barbariem adducit quae anteactarum nationum barbariem etiam superat. Immo res humanae ita implicantus ut nunc homines novis mediis, iisque insidiosis et subversivis alter alteri nocere possint, et saepe in usu sint artes et rationes quibus terrorem incutiant.

Quotidianum istum humanitatis deiectum statum prae oculis habens, S. Synodus ante omnia revocare intendit quam permanenter valeant cum jus naturale gentium, tum ejusdem sententiae quas omnes plerumque tenent, de quibus ipsa conscientia humana indesinenter testatur. Actiones ergo quae iisdem adversantur, scelera sunt. Jussa quibus tales actiones praescribuntur scelesta sunt, nec caeca obedientia excusare valet illos qui iis parent. Quoas inter actiones ante omnia declaranda sunt illa incepta quibus ratione quadam et methodo gens, populus, natio universa exterminatur. Quae incoepta tam horrenda sunt ut jure meritoque vehementer reprobanda sint et maxime sit probandus illorum animus qui huic dementiae resistere audent.

gall. /

Exstant pro rebus bellicis variae conventiones internationales, quibus sat multae nationes subscripserunt, ut minus inhumanae officiantur actiones militares eorumque consequentiae, quales sunt conventiones quae pertinent ad sortem militum vulneratorum aut captivorum, variaeque aliae. Quae conventiones servandae sunt; immo debet unusquisque, quantum po-

test, conari ut melius et efficacius ad bellorum immanitatem refrenandam serviant. Insuper humanum videretur ut leges aliquod dignum statutum provideant pro iis qui ex personali et matura persuasione, et quidem frequenter religiosis motivis ducti, ex conscientia servitium militare recusant.

Utique bellum jam non est eradicatum a rebus humanis. Et quamdiu periculum belli aderit, auctoritas~~e~~sque internationalis competens congruisque viribus munita defuerit, tamdiu, jus legitimae defensionis unicuique guberniorum denegari non poterit. Sed, cujuslibet generis est conflictus, per bellum non omnia licent inter proeliantes. Si omnia adhibere permittitur, ut adversarius devincatur, ad pernicien deducitur humanitas, pernicies quidem in quam qui talia agunt, et ipsi demerguntur.

99. (antiquus n.98) (De bello totali). Horror belli in immensum augetur incremento scientificorum armorum. Si haec media qualia jam in magnarum nationum armamentariis existunt universe adhiberentur, ex eo nihil aliud oriretur, nisi internecio fere plena et omnino reciproca uniuscujusque partis a parte adversa, praetermittis multis vastationibus quae in mundo oborirentur et existialibus effectibus ex usu hujusmodi armorum consequentibus.

Quae omnia cogunt homines ut de bello examen mente omnino nova instituant. Semper magis magisque a ratione alienum fit bellum instrumentum aptum esse ad violata jura sarcienda. Sciant ergo homines hujus aetatis se de eorum bellicis actionibus gravem rationem esse reddituros. Decursu enim temporum futurorum a suis hodiernis consiliis multum pendebit.

His attentis, haec Sacrosancta Synodus declarat quae sequuntur: Omnis actio bellica quae (indiscriminatim) tendit in destructionem urbium integrarum cum earum incolis, a fortiori ad destructionem fere plenam amplarum regionum, est de se crimen contra Deum et ipsum hominem quod firmiter et incunctanter damnandum est.

In hoc consistit periculum singulare belli totalis quod societatibus humanis quasi occasionem praebet talia scelera perpetrandi et connexione quadam inexorabili voluntatem hominum ad nefandissima consilia impellit. Si unquam hoc denuo in futurum evenisset, talium consiliorum executio immensum numerum victimarum efficeret. Quapropter omnes episcopi totius orbis terrarum in unum congregati, omnes homines obsecrant ut tantam responsabilitatem coram Deo et coram universa humanitate recte perpendeant.

100. (antiquus n.99) (De cursu ad arma apparanda). Arma scientifica, verum est, non accumulata fuerunt ad hoc unice ut tempore belli adhibeantur. Sed, quia firmitas defensionis uniuscujusque partis e capacitate fulminea adversariorum repercutiendi dependere putatur, haec accumulatio armorum, quae quotannis ingravescit, modo vere novo inservit ad deterrendos adversarios forte exsurgentes. Et ita, ipso pacis tempore, quaedam permanens dissuasionis strategia instituitur, quae a multis habetur tanquam efficaciorem omnium medioquo nunc pax aliqua inter maiores potestates in tuto poni possit.

Quidquid illa strategia sit, (persuasum habent christiani quod nec) cursus ad arma apparanda ad quem confugiunt sat mul-

tae nationes, nec sic dictum aequilibrium ex illo manans apta sit via ad pacem tutandam. Pax incerta quam praebent non est pax vera. Nationes quae sunt ditiores et potentiores facultatem sibi arrogant acquirendi quod pacem vocant technicorum mediorum ope in quae perabundantes divitias erogant, cum tam multis populis indigentibus adiutrix opera insufficiens praebeatur. Potius quam dissentiones suas vere ac funditus sanent, alias partes mundi iis infectant. Aliae viae eligendae essent, e reformatione animorum proficientes, ut hoc scandalum tollatur. Sic vera pax restitueretur et eximeretur mundus ab anxietate qua premitur.

Quapropter denuo declarandum est: cursum ad arma gravissimam plagam humanitatis esse, ac pauperes intolerabiliter laedere. Valdeque timendum est ne, si perduret, ex seipsa immanentes exitiales sequelas habere possit.

gall: injuria //

A calamitatibus quas nostro humano ingenio possibiles effecimus moniti, mora quadam adhuc gaudemus, quae nobis concedit ut propriam responsabilitatem agnoscamus intra nosmetipsos et coram Deo qui nos creavit, controversiasque nostras modo homini digno componamus. Providentia Divina a nobis instanter requirit ut omnes insimul novum conamen aggrediamur ut ab antiqua servitute belli nos liberemur. Quod si hujusmodi conamen facere renueremus, nescitur quo ducamur in hac via mala quam ingressi sumus.

101. (antiquus n.100) (De bello omnino interdicendo). Patet ergo quod viribus totis omnes ad tempus tendere debeant quo, assentientibus nationibus, quodlibet bellum omnino interdici possit. Quod sane requirit ut quaedam publica auctoritas universalis, ab omnibus agnita, instituatur, quae efficaci potestate polleat ut pro omnibus in tuto ponantur cum securitas, tum justitia, tum jurium reverentia.

Interea, necesse est omnibus vivere sub periculo belli totalis. Quare nationum duces responsabilitatibus gravantur, severis quidem, sed aeque nobilibus. Civitatum rectoribus iisque qui rei publicae inserviunt, incumbit officium et jus ut populorum sibi commissorum salutem tueantur, rem tam graves graviter gerentes. Qui in exercitu versantur, fidelitatem erga patriam colant et insimul maximam reverentiam humanitatis jam ad maiorem unitatem laboriose (cruenterque) pervenientis. Sint etiam laudabiliter parati vitam suam securitati libertatique devovere, tam, ut consuetum, propriorum concivium, quam ut nunc incipere posset, omnium membrorum nostrae communis terrestrae civitatis. Viri tandem scientiis dediti, nullo modo rectum investigationum cursum interrumpere debent, sed serius et maturius in rerum humanarum studium versari, sicut decet iis qui spiritu cives sunt generis humani.

Perscrutationes atque studia strenue et indesinenter protracta quae jam facta sunt, circa pacis et armorum depositionis problemata, internationalesque congressus qui hac de re adlaborarunt tanquam primi passus ad solvendas tantopere graves quaestiones ducenda sunt. Sed nequeunt homines conatibus quorundam tantum se committere, quin de propriis sensibus atque mentibus curent. Nam populorum moderatores, qui sunt boni communis sponsores, ex opinionum habitu quam maxime pendent. Nihil eis prodest ut ad pacem construendam instent, quandiu

PATRIMONIO UC

nimii hostilitatis et contemptus et diffidentiae sensus, racialis odia, necnon obstinatae ideologiae homines dividant atque ad invicem opponant. His in rebus, ante omnia, nos omnes debemus corda nostra commutare universo orbi prospicientes iisque quae omnes nos, homines, una simul, agere possumus, in peius aut in melius.

Non enim possumus falsa spe decipi. Nisi enim, dimissis inimicitiis, diffidentiis et odiis, firma honestaque pacta pacis universalis in futuro inirentur, humanitas, quae jam in gravi discrimine versatur, quamvis scientia mirabili praedita sit, forsan funeste adducetur ad horam in qua non aliam pacem quam horrendam pacem mortis, experiatur.

Si tamen bellum totale quod formidare possumus unquam erupturus esset, utinam Deus iterum misericordiam suam etiam in ira sua nobis revelet, et salutem suam etiam in judicio suo demonstret. Attamen, dum haec pronuntiat, Ecclesia Christi nulla spe destituitur. Aetati nostrae iterum iterumque, opportune importune, nuntium suum apostolicum proponere intendit: "ecce nunc tempus acceptabile" ut mutentur animi; "ecce nunc dies salutis" praesto est.

Sectio 3 : De missione Ecclesiae et christianorum

102. (De praesentia efficaci Ecclesiae in communitate internationali). Ecclesia vi missionis divinae omnibus hominibus Evangelium praedicandi et thesauros gratiae elargiendi, pacem ubique terrarum promovere studet atque solida fundamenta consortionis pacificae hominum ac populorum, cognitionem nempe legis divinae et naturalis, omnes docet. Ad fovendam ergo et stimulandam cooperationem inter homines, in sinu communitatis gentium omnino praesens sit Ecclesia, tam per suas institutiones officiales quam per plenam ac sinceram cooperationem omnium christianorum, voluntate ceteris inserviendi et spiritu abnegationis animatam, ratione habita institutionum et operum omnium quae ad pacem firmandam adlaborent.

Quod efficacius continget, si ipsi fideles, officii onerisque sui ut homines et christiani conscii, influxum jam in proprio vitae ambitu exerceant, ita ut apud plurimos prompta ad cooperandum cum communitate internationali voluntas excitetur. Cura peculiaris impendatur da hac re educandis et formandis iuvenibus, tam in educatione religiosa quam civili.

Haec formatio et hic spiritus ad (omnes ceteros), clericos et laicos, extendi debet, ut efficiatur et roboretur, opinio publica paci favorabilis, praesertim destruendo praejudicatas opiniones, injustitias et odia, quae tam saepe causa fuerunt oppositionis inter homines et impedimenta fraternae eorum unitatis.

In ejusmodi formatione et actione christianorum principalis sollicitudo pertinet ad episcopos: summum munus quod cum successore Petri in tota Ecclesia gerunt, etiam ad officia iustitiae et caritatis, praesertim a christianis in commodum omnium implenda, extenditur.

103. (De partibus christianorum in Institutionibus internationalibus). Excellens forma navitatis internationalis profecto est socia opera quam christiani, sive singuli, sive consocia-

ti, praestant Institutis ad cooperationem inter nationes fovendam conditis vel condendis. Praeterea variae consociationes catholicae ordinis internationalis, ad communitatem gentium pacificam ac fraternam construendam variis modis conferre possunt. Quas oportet roborare, cooperatoribus bene formatis et debitis subsidiis instruere ac recto ordine componere. Hodie enim tam efficacitas actionis quam necessitas colloquii requirunt ut singuli etiam per incepta "collectiva" operentur. Tales consociationes insuper non paulum conferunt ad excolendum verum sensum universalem, quod catholicis certe congruit, et ad firmandam apud omnes conscientiam proprii officii et oneris pariter universali indole praeditam.

Denique optandum est ut catholici, ad munus suum in communitate internationali adimplendum, cooperationem quaerant actuosam et "positivam", sive cum fratribus sejunctis qui caritatem evangelicam profitentur, sive cum omnibus hominibus veram pacem quaerentibus.

RELATIO SUBCOMMISSIONIS DE CAPITE V PARTIS II

Ad Caput V Partis II^ae^ quod attinet in recognitione textus Subcommissio secundum vota expressa Patrum in diversis sectionibus diversimode procedebat. Dum enim de prima et tertia sectione, exceptione facta forsan pro paragrapho circa problema demographicum, paucae fuerunt animadversiones Patrum in Aula prolatae aut in scriptis factae, de secunda parte, nempe de ea quae de bello et pace versatur, controversia sat magna viguit. Consequenter, Sub-Commissio de prima et tertia parte, quamvis requisita Patrum attente et magno cum labore studuit, generaliter stetit pro textu prout iacebat. Sollicita fuit de abbreviando illo textu, sed in genere visum est textum jam citra desideria Patrum esse et ideo non nimis breviorem fieri posse. Tamen, cum aliquae explicationes in uno alterove textu nunc omittuntur, ac de problemate demographico duae paragraphi in unam reductae sunt, videtur quod cum nonnullis additionibus a Patribus petitis textus prioris partis aliquantulum brevior sit quam antea.

Circa tertiam Sectionem Schematis votum instans fuit Auditorum laicorum ne minuatur, cum eorum iudicio, dato momento argumenti, haec sectio jam sat brevis erat. Insuper animadversiones aliquorum patrum (E/5642) explicite requirebant ut haec sectio roboretur et magis explicita fiat. Subcommissioni ergo opportunum visum est textum prout iacet servare, duabus parvis precisionis allatis.

Introductio capitis fusius retractata est inquantum N.90 integraliter rescriptus fuit ut magis eluceant et vinculum totius assumpti cum materia de pace, et spiritus Evangelii qui totum tractatum de pace animari debet. N.91 etiam varias correctiones subiit ut voto plurium Patrum correspondeat: pax magis dynamice describitur (E/5748), connexio eius cum valoribus christianis melius ostenditur et aliquantulum abbreviatur. In hunc numerum translata fuit sententia de non-violentia ex numero 92, quia haec quaestio logice magis cohaeret cum conceptu generali de pace quam cum institutionibus internationalibus de quibus sermo est in n.92.

PATRIMONIO UC

Tandem aliqua nova paragraphus primae sectioni praeficitur (N.91 bis) ut iterum, secundum vota Patrum, connexio illius partis cum quaestione de pace plene illustretur et sic melius appareat cohaerentia logica hujus partis et ab initiis causae profundiores conflictuum et bellorum ostendantur.

In Prima Sectione paucae mutationes factae sunt. In numeris 92,93,94 quaedam novae sententiae introductae fuerunt ut institutiones internationales necnon cooperatio inter varias nationes efficaciores reddatur. N.95 in fine Sectionis positus fuit ratione melioris cohaerentiae logicae. Huic numero in fine additur paragraphus secundum votum aliquorum Patrum de organo aliquo Ecclesiae universalis condendo ad justitiam socialem et incrementum populorum promovendum. (E/5728).

Duo numeri de problemate demographico ad unum redacti sunt ut secundum nonnullorum votum Patrum in hac quaestione tam complexa principaliter de principiis moralibus loquatur.Quaedam autem in particulari dicuntur de officiis auctoritatis publicae in hac materia secundum votum explicitum Patrum (E/5424).

De secunda parte difficilior videbatur tractatio facienda. Principio possessionis textus anterioris stetimus, attamen in quam paucis locis hoc fieri potuerit, jam prima lectione capitis apparet. Non dissimulandum est quod difficultas specialis oriebatur ex eo quod, multo minus, quam anno elapso, dividebantur interventiones Patrum in duas opiniones sat oppositas. In praesenti Sessione certe maioritas votorum in uno sensu delineabatur, dum paucae interventus tantum in contrarium sensum fuerunt. Quidquid sit autem de ista diversitate, remanet semper difficultas fundamentalis: quomodo exprimere quod in cordibus omnium est, nempe bellum quid horrendum, reiiciendum et prohibendum esse, et simul dare regulas moralitatis circa bella praesentia utpote adhuc non superata. Multae observationes factae sunt adversum textum schematis, quae omnes ex hac difficultate oriebantur, conciliandi nempe ista duo, ac non defuerunt qui illum de duplicitate vel saltem de casuistica inconsequenti cum principiis positis incriminaverunt. Multum laboravit Subcommissio ut de his omnibus satisfaciat objectionibus, sicut in foliis adnexis in particulari videtur. Attamen in hac re difficillima Subcommissio velit modeste notare quod valde caute et plena conscientia sequelarum procedendum erit. Istae sequelae non afficiunt tantum homines in generali, sed praesertim illos qui in gubernio alicujus nationis, vel in servitio alto talis gubernii partem habent, necnon omnes cives qui, dum aliquem influxum in gubernium democraticum exercent, sese de sequelis pisitionis guberniorum suorum solidares reperiunt. Textum elaboravimus qui, prout Subcommissioni possibile videbatur, animadversionibus correspondet, attamen cum desiderio etiam res ita exprimendi ut de praesenti statu rerum et de ejus moralitate semper ratio plena habeatur.

PATRIMONIO UC

RELATIO PARTICULARIS DE SECTIONE II[a], CAP. V.

D E B E L L O V I T A N D O

A - Ex interventionibus Patrum necessitas procedendi ad emendationes substantiales clare patuit. Desiderabantur enim:

1. Melior ordo logicus et articulatio clara totius materiae: E/5753, Laureano (attamen ordo quod ipse proposuit non fuit a S.C. acceptatus, quia hoc impossibile visum est). Item: E/5785, Rupp + 100 P. Item Card. Alfrink, 3a Anim. de N.99.

2. Deletio aut saltem retractatio N.99: E/6024, Himmer (ratio: repetitiones, vigorem primi num. destruit, inutilis).
   Nova redactio N.101: E/5412, Card. Spellmann (ratio: "Ne haec constitutio in fines politicos contra intentionem nostram male vertatur - ubi in partic. de obj. conscientiae - vehementer rogo...").

3. Eliminatio omnium distinctionum plusve minusve consuetarum, saltem cum de bello totali hodierno agitur, scilicet:

   - justum injustum: E/5731, Card.Liénart; E/5744, Card.Léger; E/5759, Card. Martin; E/5788, Boillon.
   - offensivum defensivum: E/5731; E/5759; E/5788.
     Contra: E/5764, Gouyon, hanc distinctionem retinere videtur.
   - et etiam eliminatio distinctionum:

     = arma conventionalia et non c. -
     = bellantes et non b. - E/5788
     = bellum totale et bella minora: E/5980 A.Cardoso Cunha.

   - eliminando etiam locutiones de "mediis proportionatis" et de "damnis praevidendis et circumscribendis": E/5788

   "Adhibendo stylum magis propheticum quam casuisticum": E/5755, P. Rusch.
   "Jam non possumus de bello loqui ut faciebant praeteriti temporis theologi": E/5759 Card. Martin.

4. Eliminatio radicalis trium sententiarum acriter reprehensarum, scil.

   a) N.98,p.77,lin.21 (Talis est...etc.) - 34, et maxime lin. 33-34 (conscientiam hominum...).
      Ratio: Contradicit declarationi lin.18-21 factae: E/5287 Card. Méouchi; E/5744, Card. Léger.
      Incoherentia: E/5430, Hermaniuk
      Inconcinnitas: E/5756, Brezanòczy + 20 Ep. Hung.
      Verba valde ambigua: E/5748, Card. Duval.
      Delendum saltem verbum "facile": E/5292, Provenchères; E/5878 Badré + 25 + 1 Card. (Liénart); E/6024, Himmer: "Tollatur verbum "facile", quod in re tam gravi laxismum sapit". (1).

---

(1) Item duo observatores D.W. Steere, K.E. Skydsgaard, et quidem fortibus verbis adhibitis.

PATRIMONIO UC

b) N.100,p.79,lin.31-34, scil.: "Quamdiu tamen institutiones internationales pacem satis communire non valent, possessio illorum armorum solum ad deterrendum adversarium, ejusdem (speciei ?) armis instructum, non affirmari potest ut res illegitima".

- Deleatur: E/5752, D.Butler; E/5754, G.Wheeler; E/5757, C.Grant; item, E/5287, Card. Méouchi (in schedis).
- Substituatur: E/?, Card.Alfrink: "Ansam praebet multis et gravibus difficultatibus, et loco earum repetatur quod P.XII et J.XXIII dixerunt de depositione et abolitione armorum".
- Vehementer reprobatur: E/5884, Card. Ritter (U.S.A.) "Haec declaratio nihil confert nisi ad condemnationem jam prolatam obscurandam". (1).

c) Ubi de praesumptione juris loquitur N.101 text.recept. p.80, lin.17-19.

- Deleatur: E/5474; E/5752, Butler; E/5754 Wheeler; E/5776, Th. Roberts; E/5826, J.Taylor (Suessia).

5. Super omnia articulatio firmior et clarior damnationis belli totalis.

- "Ut gravitas textus augeatur": Card.Alfrink praebet aliqua media.
- "Nihil attenuando de doctrina P. in Torris".Card.Liénart, E/5731.
- "Melior firmitas", Card.Duval, E/5748.
- "Conclusiones nostri schematis nimis timidae sunt: Gouyon E/5764.
- "Declaratio nostra firmior esse deberet - imprimis dicatur: "Concilium declarat solemniter: hodiernis conditionibus omne bellum aggressivum injustum esse...":Rusch, E/5755.
- "Proclamanda haec damnatio (N.98,p.77,lin.18-21) tam clare et distincte ut nemo ejus sensum obscurare aut pervertere posset": E/5884, Card.Ritter, in scriptis (2).
- "Desideratur ut damnatio belli sic dicti totalis sit solemnis, clara, gravissima et absoluta": E/5756, P.Brezanòszy + 20 E. Hung.
- "Solemnis condemnatio expectatur", Card.Léger, E/5644.
- "Timendum est ne frustrata habeatur immensa turba coaevorum nostrorum" (a textu prout conficitur in schemate), Card.Martin, E/5759.
- "Etiam: E/6024, Himmer; animadv.1 in CAP.V,n.98; E/5757, C.Grant (3).

---

(1) Et etiam vehementius ab observatoribus: D.W.Steere P.3-4 docum.allati et K.E. Skydgard,n.2,p.2-3 doc.all.Haec citantur: "This is of course concrete language, but it is a great question if this is the last analysis will not deprive t h i s document of all its spiritual reality and force. Of course every state will say that it only has these weapons in order to deter the other one. According to these words the "balance of terror" i n f a c t is acknowledge d. Millions of peoples in the world will be extremely disappointed by this phrase and with all their heart will ask the Council Fathers to reconsider it". ./.

6. Redactio minus "philosophica", stylus conveniens cum gravitate rei, spiritus christianus evidentior.

- "Stylus quasi iners et "animo carens" (manquant de souffle)" E/5749, Card. Martin.
- "Desideratur stylus magis propheticus quam casuisticus": E/5755, Rusch. (1).
- "Omnia haec (Cap.V) cum immodico optimismo scripta sunt et valde longe a tristi realitate", E/5980, A.Cardoso Cunha; vide etiam Klepâc, E/
- "Optandae ampliores referentiae evangelicae et aliqua sollemnis acclamatio christiana" E/5472 Kominek.

7. Variae additiones et etiam eliminationes

a) Additiones e.g.:
- De reprobatione sic dictae "genocidae": E/5601, Jelmini (et Bishop Karekin Sarkissian, observer - Armenian Orthodox Church).
- De jure legitime defensionis in praesenti statu rerum: E/5888, Hannan (in scriptis 1)
- De laude militum qui libertatis defensioni inserviunt: E/5888 Hannan, 4; E/5878, in par.100,p.80 Badre + 25 Ep. + 1 Card.

etc....

b) Suppressiones e.g.:
- "Prudentiori modo de mediis ad pacem fovendam loquendum est in N.98-101: E/5785, Rupp + 100 Ep.
- N.99, p.78,lin.38-40 inexactae: E/5750, Simons.
- In N.100-101 "bona officia", E/5748 Card.Duval (rationes -1- Hic agitur de aliqua technica, politica particulari; -2- Opportunum videtur ut Concilium non irrideatur).

etc...

PATRIMONIUM

./. (2) Insuper infra: "In par.99-100 schema, ut mihi videtur, hanc claritatem deliberate spernit (et supra: Anno praeterito, magno cum dolore, recepimus schema omnino inadaequatum; his diebus, majore cum dolore aliud accepimus, multo amplius quidem, sed, saltem in aliquibus, non multo melius" - statimque descendit ad punctum praesentem).

(3) Et textus communicationum, D.Steere et K.E. Skydsgaard.

---

(1) Hic etiam conveniens videtur facere mentionem saltem partis communicationis K.E. Skydsgaard (fratris sejuncti), vehementis quidem, sed quae cum aliqua moderatione serio perpendi potest
"And now paragraph of this section is entitled: On the part to be played by christians in international organisations. So ends this chapter on peace and war in a document issuing from "this Sacred Council". This is most distressing and appalling. Here we have to say something wich is extremely difficult, perhaps even impossible, to express, but which nevertheless must be said. Therefore I propose another conclusion, which in some form or other must be of the following content: IF the great war which we fear should come i f God because of our sins will ./.

B - Haec omnia imposuerunt S.C. necessitatem conficiendi novum textum emendatum, in hoc sensu:

1 - Quod novus textus remaneret concors cum intentionibus textus recepti quoad substantiam rerum dicendorum - eadem objective, sed alio modo exposita.

2 - Quod textus integre recognosceretur quoad redactionem et modum proponendi hanc substantiam, de qua supra 1.

3 - Quod pronuntientur plusve minusve solemniter:
a) Reprobatio absoluta majorum destructionum perpetratorum a bello totali
b) Reprobatio clara sic dicti "cursus ad arma" (course aux armements - arm's race), non quidem ut culpa unius gentis seu gubernii, sed ut malum commune generis humani.

4. Quod aliqua dicerentur cum majori explicitatione (vid.N.98 text. actualis, ex 101 recepti), alia quidem generaliori modo (vid. N.101, act. Text.,ex-100).

5. Quod pro posse poneretur in clariore luce id quod praesertim ad christianos spectat (vid. e.g. N.100, ex-99 et 101, ex-100 in fine).

C - Revisio textus imponebat aliquam mutationem ordinis numerorum, scil. transpositio ultimi numeri 101 text. recept. in capite sectionis (nunc N.98).

R a t i o: a) Sicut manifestum fuit aliquibus Patribus (e.g. E/5763 P.Cantero) hic numerus non bella minora (vox quod insuper male sonat, ut aliqui adverterunt e.g. E/5980) sed bellum in genere respicit et,

b) ex se providit locum dicendi omnia quae dicenda sunt antequam veniatur ad casum belli totalis hodierni - ubi jam aliqua impossibilia dici videntur (saltem breviter) quin maximae difficultates (psychologicae et etiam theologicae - videas allocutio S.S. P.XII de obligatione patiendi injustitiam in aliquibus casibus belli hodierni, potiusquam injustae violentiae resisteretur) emergant - specialiter de jure legitimae defensionis non denegando guberniis quandiu bellum non est eradicatum. Sic hic ordo sectionis a S.C. multum conventior reputatus est:

1 - De bellorum immanitate refraenanda: N.98,ex-101
2 - De bello totali: N.99, ex-98
3 - De cursu ad arma: N.100, ex-99
4 - De bello omnino interdicendo: N.101, ex-100

./. not let us go free, i f God hides his face from us and lets his wrath come over us, that then will once more reveal his mercy in his wrath, His salvation also in His judgment, that we may be standing before His face trusting in His power and faithfulness although we cannot see anything."
That this last thought is not present, even not indicated in this chapter, for me a sign that a biblical demension of faith once more has been neglected in a conciliar document. Much good can indeed be said of this scheme but it is a question if without this biblical insight, it is forgeting the most important thing. In the Old Testament we hear of false and of true prophets. Without this biblical dimension this paper certainly cannot avoid the accusation of false prophecy. We therefore must call on the committee of redaction earnestly to reconsider this question.

ANIMADVERSIONES AD NUMEROS PARTICULARES

1 - Num.98, ex-100

Ordo tractandorum

1. Saevitiae bellorum nostrae aetatis; mentio specierum quasi-novarum belli hodierni (E/5760 Card. Ottaviani; E/6025 Mac Grath).
2. Scelera iuri naturali gentium adversantia
   a) Quaestio de Oboedientia jussis scelestibus praestanda (E/5776 Roberts)
   b) Quaestio de exterminatione methodica unius gentis (sic dictae "genocidii") - E/5506 Jelmini ? et Sarkissian (observator).
3. De pactis internationalibus servandis et ampliandis ad minuendos horrores belli (Ad quod adjungitur de objectione conscientiae; vide infra).
4. Bellum jam non eradicatum est - jus legitimae defensionis in genere (respiciens ad E/5750 Simons et E/5773 Laureano) - sed non omnia permittuntur...

N o t a : Quae attinent ad spinosissimam quaestionem objectionis conscientiae:

- 13 Patres "pro" in suis orationibus et scriptis: Card. Alfrink, Card. Léger, Butler, Grant, Beck, Roberts, Taylor, Barthe + 8 Ep. E/5880 ad N.101; Himmer, E/5482 ?, E/5632 ? (identificationes desunt) et etiam D.W. Steere, observator.
- 9 "contra": Card. Spellmann; Carli (E/5765); Lokuang, (E/5675); Hannan (E/5888), E/5730, Laureano; E/5763, Cantero; E/5511, E/5634, E/5925.
- "Textus sileat" tres: E/5748, Card. Duval, E/5644, E/5286.

De m o t i v i s : variae sententiae

S.C. conata est aliquam "viam mediam" invenire
   a) loqui, sed non negative
   b) sicut mentem suam aperiendo et suggerendo, sed nullo modo urgendo: "humanum videretur..."
   c) indicando motiva humanitatis et reverentiae personae humanae, dummodo obiector mature generaliterque bonae conscientiae sit
   d) sed non e motivis evangelicis arguendo, quod in variis casibus valde dubiosum foret.

2 - Num. 99, ex-98

Ordo tractandorum:

1. Horrores qui nunc possibiles facti sunt belli totalis (thermo-nuclearis, anti-cities...etc. - sed omnia haec non expresse nominantur; omnes possunt intelligere quod vox bellum totale hodie significat).
2. Meditatio brevis repercussionum in ordine morali et religioso
3. Declaratio reprobationis
4. Monitio et instantia Concilii loquentis ad totum genus humanum.

N o t a : De declaratione reprobatoria
Redacta est resumptione facta lineae 18-21, p.77, n.98 text.recept. sed cum aliquibus mutationibus

a) tendit in loco "pertinet ad"; hoc jam indicatum fuit ab E.mo D.no Hengsbach in relatione introductoria facta in Commissione Generali Mixta, die 22 sept. - et aliquomodo correspondet petitioni E.mi D.ni Butler (E/5752, elenchus emendationum, 1).
b) deletio vocis "objective", ne in periculum suspicionis alicujus casuisticae reincidetur, vide supra p.1, n.4, a).

Et ad firmitatem solemnitatemque manifestandam, introductio: "His attentis..." et articulatio separatim. Vox "sollemniter" non adhibetur in clausula introductoria. Ratio: major simplicitas, proscriptioque verborum quae nunc merae "clauses de style ecclésiastique" viderentur in publico non-catholico.

3 - Num.100, ex-99

Ordo tractandorum:

1. Realitas cursus actualis ad arma et "strategiae discussionis" ad evitandum bellum majus inter magnas nationes
2. Quid de hoc sentit conscientia christiana, quidquid sit de rationibus solummodo humanis (praetermissis)
3. Declaratio reprobatoria modo quidem differenti prioris prolata
4. Monitio in stylo "n o s" redacta ut appareat quod christiani - et etiam episcopi in Concilium coadunati - non intendunt sese eximere a responsabilitate communi omnium hominum, et pharisaice imponere aliis onera quae pro sua parte recusarent.

PATRIMONIO UC

4 - Num.101, ex-100

Ordo tractandorum:

1. De bello interdicendo et auctoritate internationali.
   a) De bello omnino interdicendo: Resumpta est expressio E.mi D.ni Card. Ottaviani (E/5760) (sententia quae quidem in Aula pronunciata fuit, fuit improvisa), expressio quae plausus in Aula meruit et perfecte ad propositum respondebat, explicando paululum eius sensum "gerundivum", omnino urgentem quidem.
   b) Auctoritas internationalis: De hac auctoritate tractatum est aliquem differenter a textu recepto, quoad modum dicendi. Inconveniens enim visum est S.C. tam affirmative loqui quam in text. recept. (vide p.79, lin.22: Affirmat S.Syn. urgentem necessitatem...etc., et infra descriptio muneris hujus auctoritatis).

Ratio: quaestio inter nationes jam non sufficienter matura videtur, ut bene cognosci possit si et in qua forma haec auctoritas concrete institui possit. Et, sine aliquo auxilio particulari Spiritus Sancti, Concilium, de rebus quae nunc tam incertae manent, non potest loqui cum verbis quae seu ad praesumptionem seu ad "idealismum spirituale" pertinere viderentur. De facto unus Pater (Rupp E/5785 + 100) dixit quod in n.98-101 satis incaute loquebatur de mediis

ad fovendam pacem. Varii Patres, verum est, firmiter locuti sunt de hac auctoritate internationali universali (gallici praesertim, Gouyon E/5764; Ancel, E/5784; Card. Duval E/5748, item: Card. Léger, E/5744; Simon, E/5750, de institutione alicujus tribunalis internationalis, etc.), et etiam petitiones factae sunt petentes aliquas additiones (vide text. Ancel; vide etiam text. Reuch, E/5755, n.2). Sed S.C. maluit prudentiorem viam eligere. Hic locuta est dicendo: (prohibitio belli) sane requirit...etc., indicando munus hujus (forte) futurae auctoritatis in terminis generalioribus et minus explicitis quam in text. recept.

2. Quomodo nunc "duces" civitatum (les responsables: chefs d'Etat et politiques, militaires, savants...etc.) rationem suorum officiorum componere queant. (De rectoribus civit. cf. Cantero, E/5763; de militibus, Hannan n.4 E/5888, et etiam Badré E/5878 + 25 Ep. + 1 Card.; de scientificis, Card. Duval, E/5748). Propositio introductoria hujus alineae sumitur ex oratione Exc. D.ni Beck. In sua redactione S.C. maximam curam habuit ut ea quae dicerentur respiciant ad situationem jam evocatam in n.98, 4a alinea (bella non eradicata; jus legitimae defensionis unicuique guberniorum denegari non potest) sine ulla debilitatione reprobationum N. 99-100 - debilitatio quae revera mala esset, et insuper pessima ac inexcusabilis hypocrisis videretur opinioni publicae.

Laus conaminum jam effectorum - sed paululum generaliori modo facta quam in textu recepto Schematis.

Ratio. In hoc documento particularia technica evocare non decet (vide e.g. animadversio in scriptis data n.4 Card. Duval: de "bonis officiis"). Insuper, quaestio "depositionis armorum", his ultimis annis, sub aspectu quodammodo mutato a peritibus jam inspicitur, et timendum esset quod, etiam resumendo aliqua verba encyclicae P. in Terris ad hanc quaestionem respicientes, sermo paululum "antiquatus" evasisset. Post hanc laudem monitio maximi momenti ad opinionem publicam et conscientias individuales (cf. Cantero, E/5763 - ibi, de "desarmamento morale", et quod permulti Patres passim dixerunt).

4. Conclusio finalis: de possibilitate permanente maximae calamitatis belli totalis. De hoc puncto, quasi "biblico" tractatum est:

a) quasi "peccatum originale" nostrae civilisationis, scil. scientia mirabilis, progrediens sine sufficiente concordia hominum.

b) Vetus Testamentum: revelatio irae et judicii Dei - saltem possibilis - sed etiam misericordiae in ira et salutis in judicio. Haec idea ex suggestione D.ni Skydsgaard (fratris sejuncti) desumpta est (vide supra p.3,n.3).

c) Novum Testamentum: nuntium apostolicum Ecclesiae: "ecce tempus acceptabile..etc.". Idea conclusioni orationis Card.Ritter, E/5884, similis est.

Imprimis haec conclusio redacta fuit aliquo modo amplius rhetorico et, ut nunc aiunt, "prophetico". Sed S.C. multum rationabiliter visum est bonum ut hic stylus valde temperetur in redactione hujus sectionis Cap.V Schematis.

23 Oct. 1965.

PATRIMONIO UC